

proferre, ut puero quoque puerile videri queat. Et quemadmodum vel doctissimo viro, summoq; abaciste, res foret difficillima 21952 numerum recensere nullo omisso, si ordo ille naturalis additæ unitatis retineri non deberet, sed promiscuè recenseri 721. 924. 318. &c. usque dum omnes istos in 21952. numeros recensueris, neque unius diei foret, sed ferè mensis, cum contrà, ordine observato, fermè quadrihorio, imò bihorio recenseri omnes isti numeri queant: sicque difficillimum cecidit iis ante me lexicographis, radices saltem triliteras ex autoribus vel lexicis expiscandi, novique, id multis omnino laboribus constitisse, quod mihi unus dies efficere potest. Tanta facilitas harum radicum enumerandarum ex hoc ordine naturali. Unde jucunditas quoque, quod tertium fuit, nosse se naturaliter radices omnes actu, & sic potentia omnes voces, omnes formas vocum, nominumq; & verborum, anomalicas pariter & analogicas, omnes denique centies mille autorum voces memoriâ gestare. Immanè quàm jucundum est scire, nullâ in totis bibliis arabicis occurrere vocem posse, quin ejus formam ex ingenio proferre queas! Quid quod necessarius hic ordo est. facilem hanc linguam vel discere vel docere volentibus, de quo in capite quinto agemus. Tandemque absolutissimum est lexicon quoad radices, quibus etiam quadriliteræ, & hæ naturaliter subjici possunt, ut plane nihil deesse queat huic lexico radicum nomine. Sed hic unum quæritur, quomodo agendum esset in nominibus deductis ab his radicibus, num illæ omitti possint, num verò adjici necessarium. Referam autem primò sententiam illorum, qui addendas voces arabicas à radicibus ortas suadent, his maximè de causis, quod aliàs mutilum foret lexicon, si, quod omnia alia servant lexica, cujuscunque autoris in ebraicis, chaldaicis, syriacisque, voces derivativas omnes subjiciendo, ego id omittere velim, cum pro tyronibus hoc lexicon esse debeat, & non solùm pro eruditis ac doctis. Possent has voces literis ebraicis, si desit arabicus typus sufficiens, aut etiam latinis imprimi, posse fieri alphabetum latinum, quod in fronte præfixum posthâc neminem sinat fallere aut falli, posse simplicissimam cujusque vocis significationem adjici. Maximè cum non omnia formarum genera in vocibus sub singulis radicibus occurrant, ut tyro scire queat, ex quâ formâ sub hac vel illa radice voces.

*Ergone aliter
An nomina o
ducta ad iigen*

Obi: